

que modo premissis facti sunt et reportate, absque omni prorsus superflua dilatione debite executioni demandare modis omnibus debeatis et teneamini, provt lex et consuetudo illius Regni nostri requirit. Auctoritate nostra Regia presentibus vobis in hac parte attributa, ac Jure et iusticia mediante. Si autem contingeret, eiusmodi processus Juridicos et sentencias contra aliquos adeo potentes reportari, quod vos ipsi ad executionem faciendam non sufficeretis, extunc volumus, quod vos id nobis per litteras vestras significare debeatis. Nos autem per vos certificati curabimus de tali remedio prouidere, ut ea, que iudicialiter decreta sunt, debite etiam executioni demandari possint. Secus igitur nullo modo facturi. Presentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Bude feria secunda proxima post festum Ascensionis Domini. Anno eiusdem Millesimo Quingentesimo quarto.

In dextro inferiori margine:

Relacio Reuerendi Domini Sigismundi, Episcopi Nitriensis, Secretarii Regii. — S. Thurzo.

(Sigillum Regium appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 115.

CLXXIII.

Anno 1505. In campo Rakos.

Judex Curiae Regiae decretum Statum et Ordinum Regni Hungariae, de extraneo Rege post mortem Vladislai Regis non eligendo, ad preces oratorum Regni Slavoniae huic Regno seorsim edit.

Nos Comes Petrus, Comes de Sancto Georgio et de Bozyn, Judex Curie Serenissimi Principis domini Vladislai, Dei gracia Regis Hungarie, Bohemie &c., ac Waiuoda Transylvanie. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit Vniuersis: Quod cum in presenti Dieta seu Conuencione generali Vniuersorum dominorum Prelatorum et Baronum ac ceterorum Regnicolarum, pro festo beati Michaelis Archangeli proxime preterito, de Regio mandato in campo Rakos celebrata quedam littere eorundem Vniuersorum dominorum et Regnicolarum sanctionales et constitutionales factum cuiusdam Vnionis et conclusionis eorum super electione noui Regis post obitum prefati domini nostri